



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebus Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus XII. De Contractibus, in quibus fortuna miscetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

dedit. Nec refert utrum debitor fuerit concius, an ignoraverit talem defectum pignoris, per quem creditor decipiatur. Deceptus enim semper hac formula agere potest. *Oldend. l. cit.* Actio hypothecaria est creditoris ad possidendum pignus, sibi obligatum. Aget propterea, ut illud retineat, ut ablatum recipiat, illud vendat, cum præfixo tempore non solvit debitor. *Inst. de act. §. Serviana.* Convenit etiam creditori contra tertium possessorem, & contra eum, qui à debitore emit. *l. pignoris ff. de pign. l. distractis. C. eod. Mysing decade 1. Respon. 9. Broncoff. Centur. 3. Assert. 89.*

XII. Sed quia non rarè contingit, utnam rem pluribus oppignorari, quo ordine prosecutio, & distractio pignoris faciendâ sit, inquiritur, Generalis, & usu recepta regula est, potiore esse in iure pignoris, cui prius est res obligata. *l. si pignus. 8. l. si & in re. lo ff. hoc tit. l. licet. C. eod. l. 4. C. ad Macedonian.* Neque interest, licet nonnulli contradicant, pignus conventionale, prætorium, aut iudiciale sit. *l. 2. C. eod. specialiter, an generaliter res obligata sit, expressè, an tacitè. l. un.*

C. Rem alienam gerentib. di. l. si pignus. 8. ubi DD. Ex aliis tamen bonis, si creditum desumere queat is, qui generalem tantum hypothecam habet, non conveniat secundo habenti specialem præiudicare, Præterea non interest, privati sint creditores omnes, an aliqui illorum privilegiati, ut pupillus, mulier, civitas, fiscus, princeps. *di. l. si pignus. l. fin. §. fin. hoc tit.* Regulariter enim, quicumque prius est, præferatur: nisi aliud expressè per legem definiatur. Sic enim pupillus, mulier, & alii prænominati præferuntur illis præcipuè, qui generalem tantum hypothecam habent. *Authent. de equalitate dotis. Neguzant. Tract. de pignor. par. 5. membr. 2.* Pari modo, qui in morbum, funus, exequias crediderunt, & aliis etiam expressam habentibus anteponuntur. *Jason, & DD. in l. fin. §. in computar. C. de iure delib.* Item qui pecuniam dedit in rei oppignorata conservationem, repationem, &c. Item, qui servum ab hostibus redemit. *V. Vvesenbet. l. 20 ff. tit. 4. Cod. 8. 18. 19. Mol. Disp. 336. Laym. l. 3. Tract. 2. c. 11. num. 4. & sequ. Petrus à S. Iosephol. 4. de iust. c. 11. Resolut. 6.*

TITULUS XII.

De Contractibus, in quibus Fortuna miscetur.

Invenit humana cupiditas modum, quo fortunam aliàs infidam, & infœcundam subiiceret sibi, & lucrum inferre cogeret, miscendo industriæ, cuius certi sunt fructus. Inde quatuor creati sunt

Contractus, Assuratio, Sponsio, Sortes, & Ludus: de quibus iuxta methodum hætenus observatam breviter agemus.

S s s 2 §. I. De

§. I.

De Assecuratione.

I. **A**ssecratio est Contractus, quo aliena rei periculum suscipitur pro pretio, aut alio interesse. Dicitur 1. Contractus, quia obligationem reciprocam in paciscentibus producit. Nam qui assecurat promittit securitatem, qui assecuratur, promittit pretium, & soluit. 2. Quo suscipitur aliena rei periculum, ut intelligas materiam assecurationis esse res dubias, & periculis subiectas: ideo assecurans in se recipit periculum. 3. Pro pretio. Quamvis enim fieri gratis possit, communiter pretium intervenerit, & merito, cum periculis eventus varius & incertus, adeoque pretio aestimabilis sit. *Conrad. de Contr. q. 1. Garcias eod. c. 39. Summisse V. assecuratio, & Negotiatio. Less. c. 28. D. 4.* Aliqui, ut *Silo. V. Negotiatio. nu. 5. cum Baldo* reducunt ad contractum innominatum, *Facio, ut des. Facio, ait assecurans, & præsto tibi securitatem: respondet offerens pretium, Do pecuniam, ut me securum reddas.* Quod Contractus nominatos attinet ad Emptionem, & venditionem revocare licet. Assecurator enim vendit susceptionem periculi, vel obligationem solvendi aestimationem rei, si pereat, certo pretio. *Albernotius* vero quem *Garcias* sequitur, reducit ad fideiussionem. Tria namque invenimus in hoc Contractu. 1. concurrat dominus rei assecuratae, qui est instar creditoris, cui fideiubetur. 2. est res assecurata, quæ correspondet debitori, consideratur enim, quasi ipsa obligata esset, ut perveniat salva in manus creditoris. 3. est assecurator, correspondens fi-

deiussori, qui pro re assecurata, ut pro debitore ad solvendum obligat se, si salva non perveniat. Alii malunt ad locationem, & conductionem trahere quia assecurator locat operam suam in constituendo navim in tuto, & pro ea opera pretium accipit. Non interest demum, quod trahas natura illius perspecta. Meo quidem sensu nulli, quam emptioni, & venditioni proximior est, ut facile cuilibet naturam ipsius accuratè perscrutanti patebit.

II. Ad huius Contractus iustitiam tria concurrant, necesse est. *Primo* ex utraque parte æqualitas, ut assecurator proportionè periculum attenda pretium exigat, & assecuratus illud ratione periculorum solvat. *Secundo* ut eventus, de quo pactum initur, neutri parti manifestus, sed dubius, & incertus sit. *Tertio* ut qui assecurat alii, verè habeat, unde satisfacere possit, per se, vel per alium: & qui assecuratur, revertentem de loco in locum transmitat, nec mutet iter, exponendo rem maiori periculo, quam coeventum sit: præterea eandem in rebus servandis diligentiam adhibeat, quam adhibuisset absque assecuratione. *Mol. D. 507. Az. 3. l. 11. c. 18. D. 3. Soto l. 6. q. 7. Lugo D. 31. S. 7. nu. 93.* Unde sequitur 1. quando assecurator certo novit mercem in portum appulisse, vel aliàs securo loco esse, non posse secundum iustitiam, quicquam exigere. Tunc enim obligatio ipsius nullam pretii aestimationem meretur. 2. si quid acceperit eo nomine ad restitutionem teneri, uti ad expensas contractus quoque, & damna inde enata, cum horum omnium efficax causa sit. Quod si in securo res fuerit, ipso ignorante, poterit exigere pretium iuxta aestimationem eius periculi, cui se opposuit.

Card

*Card. Tuschius Conclus. 537. & V. Securita-
tem Concl. 95. Less. c. 28. D. 4.*

III. Ex aduerso, si mercator, qui mer-
cium suarum conservationem, & securi-
tatem querit, eas jam tum periisse cer-
tè cognoverit, de affectione pacisci
non potest: quia finis, quem intendit,
impossibilis est, & affectio rem ver-
sari in periculo supponit. At quamdiu
dubium manet, ab assurente aliquid
recipere potest, pro periculo, cui expo-
nit illud pretium absque incommodo
assurantis, uti possit, cum res non pe-
rit: & si perierit, aliquid amplius repe-
tere supra pretium datum. Quod omni-
nò conveniens est. Nam quia assura-
tor lucrum habere potest in bona fortu-
na, dum res absque suis impensis conser-
vatur, etiam in contrario eventu equum
est, ut perdere possit, quod non fiet, nisi
ultra pretium datum exigere aliquid
amplius liceat. *Filliut. tract. 37. c. 1. n. 5. & 6.
Card. Lugo loco cit. n. 94. & seqq.*

IV. Quia quatuor rerum genera sunt,
in quibus contractus affectionis ver-
setur, quatuor illius species assignantur.
In primo genere numerantur merces si-
ve in mari, si ve in terra. In secundo pe-
cuniæ, si ve quando loco in locum tran-
smituntur, si ve aliàs debita, ut si tibi
1000. aureos debeat Cajus, & mercator
ea assureret pro consueta pensione au-
reorum 50. In tertio est libertas, cum
quis exempl. gratia mare navigans, me-
ruensque piratas curet sibi assurenti li-
bertatem. In quarto est vita. Sic benefi-
ciarii, ut Bullas redimant, à mercatore
accipiunt summam pecuniæ, quam sol-
vant tribus aut quatuor annis: simul et-
iam pro eo tempore curant vitam asse-

curari, alioqui pecuniæ mercator non
vellet dare. *Garzia c. 39. num. 11. Silv. V. ne-
gociatio num. 4.* Licet enim humanæ vitæ
nulla vel nunquam sufficiens æstimatio
aut pretium queat assignari, commoda
tamen & damna, quæ ex illius brevitate,
vel longitudine pendent, æstimationi
subjacent. Quocirca Reipublicæ mul-
tum pro sunt mercatores illi, qui aliorum
vitam assurent. Cogitate Episcopum
electum esse, & pro expeditione litera-
rum pecuniæ accipere post quinque
annos reddendam, mutuator volet esse
securus, ut se indemnem servet, proque
ea affectione meritò pretium exiget
assurantis. *Lopez l. 2. de Contract. c. 16.
Azor loco cit. Dub. ult.*

V. De pecuniæ affectione, an non
usura labe infecta sit, aliqui dubitant.
Titius mutuo dat pecuniæ mihi eam-
que per loca periculosa translaturò asse-
curat, & pretium exigat, an juste? Negant
*Sotus, Cajet. Silv. & Navarrus apud Lud. Lo-
pez part. 2. Instructorii c. 72.* quibus favere
creditur c. *Naviganti de usuris*, ubi dam-
nantur, qui ultra sortem aliquid exigunt
à navigantibus pro affectione pecu-
niarum. Sed *Navarrus*, in *Comm. de usu-
ris*, licet hunc sensum antiquum & pro-
prium esse fateatur citati capitis, quod
per susceptionem periculi rei mutuatæ
usura non tollatur. Monitos tamen esse
vult *Gregorium IX.* non dicere, quod
prædictus contractus sit usurarius, sed
tantum quod censendus sit usurarius, id
est, talis præsumendus in foro exteriori,
& velut usurarius puniendus, qui ita con-
trahit; licet aliquando in conscientia non
sit usurarius v. gr. in casu, quo postquam
absolutè & absque sinistra intentione

mutuator pecuniam dedit, ad instantiam mutuarii, subierit periculum pecuniae sic mutuatae; tunc ratione assecurationis istius periculi pretio aestimabilis poterit licite & absque usura petere & accipere aliquid ultra sortem. *Salas de Cambiis Dub. 8. Binsfeld. in c. Naviganti. de Vsur. quest. 1.*

VI. Contractum hunc fraudibus obnoxium esse in utraque parte manifestum est, ut merito de illis excludendis *Soto moneat l. 6. q. 7.* licet melius faceret eas indicando. Sunt autem à parte assecurantis duae, quarum prima est, si promittat assecurationem, nec habeat sufficientia bona, ex quibus damnum, & iacturam mercium compenset. Secunda, si pro illis rebus spondeat, quas certo novit extra omne periculum esse. Totidem modis fraudem facere potest, qui assecurandus est. *Primo* si rem suam periisse certo noverit, & tamen cum alio paciscatur, ut illam assecuret. *Secundo* si loco ejus rei, quae assecurata est, aliam substituat minoris valoris, vel etiam nullam. Sic enim propter materiae & voluntatis defectum invalidus contractus redditur. Nam absque consensu voluntatis, & re substrata pactum fieri impossibile est, ut ex *Titulo 7. §. 1.* constat. *Soto Garzia & Azor loco cit. Dub. 9. Lessius loco cit. num. 24. & sequ.*

VII. Obligatio assecuratoris est, ut si merces pro quibus assecurationem promissit, ex toto aut parte intereant, illarum aestimationem praestet. Dico aestimationem, quia non tenetur ad totum valorem mercium, sed quanti aestimatae fuerint, vel lege & consuetudine aliqua, vel particularibus pactis v. gr. trium, qua-

tuor, aut quinque pro quolibet centenario. E contra assecuratus tenetur ad solvendum pretium assecurationis, de quo convenerat: praeterea compensare damna, quae assecurator patitur in mercium interitu, cum nulla ipsius culpa intercedit. Poterit autem si quid ex naufragio, vel direptione superest, illi relinquere vel alio modo satisfacere prudentum virorum arbitrio. *Filliut. tract. 37. c. 1. num. 14. Silvest. V. Negotium quest. 4.*

VIII. Huc pertinet Contractus in Hispania consuetus & frequens. Cum bona magni pretii sub hasta venum exponuntur, promitti solet certa pecunia illi, qui pretium auxerit: hic pro illo pretio auget rerum venalium pretium intra iusti valoris terminos, quantum potest, & assecurat venditorem, quod deficientibus aliis ipse emere velit. Non esse injustam hanc conventionem ex proportione, quam cum Contractu assecurationis habet, cognosci potest: quia periculum, quod in se suscipit assecurator pretio aestimabile est, & supponimus iustitiae leges manere integras: quamvis evenire queat, ut bona exposita summo pretio accipere cogatur, qui ad id fidem suam obligavit. *Azor loco cit. c. 21. Dub. 3. Carb. Lugo loco cit. num. 103.*

§. II.

De Sponsione.

I. Sponsio est Contractus, in quo duo de veritate vel eventu alicujus rei litigantes, sibi invicem spondent aliquid, ut illud id fiat, qui veritatem attigerit. *Lugo Diss. 31. Sect. 6. num. 73.* Duo igitur in hoc contractu

tractu concurrunt, primum est rei incertæ indagatio cum præsumptione veritatem assequendi. Secundum, ex ea præsumptione est promissio præmii respectu adversæ partis, cum obtinuerit victoriam, cui à parte dantis responderet pœna, dum se privat eo commodo, quod frustra sperabat. Est autem promissio non semper æqualis, sed aliquando utrimque par, aliquando major unius, quam alterius. Sæpè etiam toto genere differt, ut si unus pecuniam, alius arma promittat. Sponsiones quoque concipi possunt circa futurum, præsens & præteritum. Circa futurum, ut, quod Christiani contra Turcas victoriam obtenturi sint. Circa præsens, ut Summum Pontificem adhuc vivere. Circa præteritum, ut classem ex Indiâ feliciter appulisse. In his omnibus cum incertitudo sit, & cuique liceat ex suis iudiciis conjecturam sumere, de veritate illius certare, & promittere potest alteri, si victus ab illo fuerit, præmium, cum reciproca obligatione exhibendi. *Silv. V. Negotium Sanchez l. 1. Confil. c. 8. D. 32.*

II. Eum, qui probabiliter seit, suam opinionem veram esse, & adversarium decipi, cum eo non posse sponsonem facere aliqui existimant, propter defectum æqualitatis, quæ utrimque requiritur. *Molin. Diss. 508 Garz. c. 42. Navarr. c. 20. num. 18.* Aliis non videtur illicita sponso, & lucrum inde speratum, modò certitudinem suam non occultet adversario. Nam si ea cognita nihilominus inire pactam velit, sibi damnum inde proveniens imputet. *Azor III. l. 11. c. 19 quest. 4. Rebellus l. 16. q. un. De sponsonem. Cottonius in Summa Diana V. Restituere num. 40. Idem*

juris est, si qui certò sciebat, postea dubitare incipiat. Exponit enim sealicui periculo amittendi, quamvis ob meram pertinaciam alter amittat.

III. Quæ sponsones conditionem illicitam habent, jam pridem legibus etiam civilibus reprobata sunt. V. g. si duo concertent, uter alterum vincat edendo, vel bibendo. *l. 3. ff. de alea lusu, & aleatorib. l. xi. ff. de. Tholos. l. 23 c. 3. num. 6. Beneven. Straccha tract. de spons. part. 3.* Lucrum tamen ex ejusmodi sponsonibus acquisitum retineri à Victore potest, si absque dolo, & fraude sponsondit. Quamvis enim contrahentes malè agant, non peccant tamen contra justitiam, nec debito restituendi onerantur. Neque leges, quæ ejusmodi contractus damnant, ad restituendum lucrum condemnant. *Azor loco cit. Dub. 6.* Hinc deducitur, si inter Titium, & Cajum sponso facta de cursu, vel saltu, ut victori præmium cedat, Cajus currere, aut saltare nolit, ad præstandum Titio præmium teneri, eò quod per eum non stat, quò minus sponso adimpleatur. *Straccha de sponsonib. ci. fin.* ubi aliud exemplum cum faceria conjunctum proponit. §. *Elegantem.*

IV. Mortuo Pontifice, & instituta de Successore per Cardinales electione sponsones fiunt pro cujusque voto, & iudicio, sintne illicitæ, dubitatur? Non videntur illicitæ, si rem ipsam spectes, quia eventus dubius est, & quemadmodum suppono, in aliis æqualitas. Verùm prohibitas esse jure Ecclesiastico docet *Bulla Pii IV. de reformat. conclavis super elect. Romani Pontif. quæ incipit. In eligendis Ecclesiarum Prelatis.* quam prohibitionem tamen non nisi in Urbe locum habere

habere *Azor* c. 20. notat, cum dicatur, contra facientes subijci arbitrio gubernatoris, & arbitrio futuri Pontificis, ut puniantur, *Craffenf.* in l. à Titio ff. de verb. oblig. *Sraccha* l. cit. part. 4. Verum *Gregorius XIV.* Constitutio, quam refert *Stephanus Quaranta* 7. Electio. Complectens, & prohibens sponsones super vita, vel morte Pontificis, vel electione futura etiam extra tempus Sedis vacantis universalis est. Irritæ sunt igitur omnes ejusmodi sponsones, & qui eas faciunt excommunicationem incurrunt Summo Pontifici reservatam: illis puta in provinciis, & dicecesibus ubi promulgatæ, & receptæ sunt. *Fill. tract.* 37. c. 3. num. 30. Idem ferè de sponsonibus super dubia Cardinalium electione dicendum, quoniam eadem in Constitut. à *Gregorio Pontifice* vetantur. *Lugo D.* 31. *Seff.* 6. num. 90.

V. In Francia, & Flandria celebrari sponsonem ferunt hoc ferè modo Titius à Cajo 100. aureos accipit, ea conditione, ut ducentes reddere teneatur, si post biennium lustrata Italia, & Roma incolumis redierit, vel uxorem acceperit. Nihil in eo contractulaterè iniquitatis videtur, quia eventus dubius est, & uterque periculo amittendi sese exponit. Nam si Titius non redierit quod contingens est Cajo amittit centum: si autem redierit Titius, ducentos ipse amittet, secundum conventionem. *Azor & Tholos.* loc. cit. de aliis similibus V. apud *Angel* V. *Vsura*. §. 1. n. 42. *Sily.* eod. g. 36. *Rosellam* num. 39. ci. fin.

VI. Actio ex hoc contractu, cum honestam causam habet, oritur *prescriptis verbis*: cum verò turpem, conditionis sine causa, quia refert speciem innominati

contractus. *Facio, ut des: vel Do, ut facias*: cum neque depositum propriè, neque lequestrum sit. *Godd.* in l. *Sponso* nu. 14. ff. de verb. oblig. *Vlpian.* in l. si *gratuitam* ff. de preser. pt. verbis *Oldendorp.* Classe 4. act. 40.

§. III.

De Sortibus.

I. Sortem vocamus actionem ab homine susceptam, ut ex illius eventu occultum aliquid innotescat. *S. Tho.* *opus.* de sortibus & 2. q. 95. *art. ult.* quem Summistæ sequuntur. Alia est consultoria, alia divinatoria, alia divisoria. De primis duabus in explicatione primi præcepti Decalogi Morales agere solent. Tertia species huic pertinet, & dicitur *Contractus*, quo de re communi paciscuntur aliqui, ut sorte exploretur, cujus esse debeat, quemadmodum milites circa Christi tunicam fecerunt. *Joan* 19. v. 24. Aliter quoque defini potest, nimirum, ut sit *Contractus*, quo mittuntur sortes, ut posito eventu quamvis casuali voluntas contrahentium conditionata in absolutam transeat, & res illi tribuatur, cui fors annuit. *Angel.* V. *Sortes* num. 1. *Sily.* V. *Superstitio* num. 9. *Armilia.* n. 1. *Sanchez* l. 2. *Moral.* c. 38. n. 56.

II. Contractus sortis divisorie per se non est illicitus, imò sublati fraudibus non rarò utilis, & necessarius. Quod *lapiens* indicat *Prov.* 18. v. 18. *Contradictiones* comprimit dors, & inter potentes quoque dijudicat. Nec defunt Auctores, qui existimant, Apostolos orbem terrarum pro Evangelii prædicatione mittendo sortem divisisse, uti refert *Francisco Turrianus* l. 8. *Const. Apost.* c. 5. quin etiam *S. August.* *epist.* 180. ad *Honoratum* tempore pestis sorte dirimendum esse scribit, quis

quis ex Sacerdotum numero subire periculum debeat. Et inter plures mortis reos, si noxiom patetur omnes necare, dirimi sorte potest, quis ex omnibus supplicio afficiendus sit. teste *Delrio l. 4. c. 4. Lefcio. c. 43. Dub. 9.* Idem de proiciendis mercibus in communi naufragio: de insequendo hoste, cum una aliqua cohors sufficere censetur, aliisque casibus dicendum est. *Io. Maior in 4. Dist. 15. Q. 22. §. Quarto dubitatur. Az. l. 1. §. 21. Laym. l. 4. tr. 10. c. 3. Torreblanca l. 1. de Magia divinatrice c. 22. num. 40.*

III. Prohibitæ sunt sortes circa beneficia ecclesiastica, electionem, & compromissarios pro ecclesiastica electione. *c. Ecclesia de sortilegiis, ubi Honorius. 11. sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnat.* Quod amplius monnet *Barbosa* etiam ad officia ecclesiastica. Conuenit enim vel maximè, præpositos ecclesiarum, & Officiales eligere digno et gradu, cum nihil utilius ad Dei gloriam, & animarum salutem contingere possit, quam boni pastores: ut è contra nihil perniciosius malis, & indignis. *Sanch. l. 2. Mor. c. 38. num. 71. V. Barb. in c. cit. Ecclesia.*

IV. Electio per sortes ad beneficia ecclesiastica non tantum illicita, sed irrita quoque, & nulla est. *c. Quia propter de elect. ubi forma electionis præscribitur, & non valere aliter factam electionem declaratur.* Neque obstat, quod in *c. cit. Ecclesia* à Pontifice non reprobatur electio, ut nulla, per commissarios sorte electos facta, quia licet electi sorte essent nihilominus seruare potuerunt formam in *c. Quia propter. præscriptam, secundum illa verba. Vel saltem eligendi potestas aliqui-*

bus viris idoneis committatur, qui vice omnium ecclesiæ viduatæ provideant de pastore. Suar. l. 2. de superst. c. 12. n. 10. Layman. l. 4. Tract. 16. c. 3. n. 9. Max. Sandeus in discept. de Rege Rom. Sect. 3. n. 2. & 3.

V. Dices, saltem in casu quo suffragia paria sunt, inter duos valere fors poterit. Tunc enim vix superest aliud remedium, & uterque dignus iudicatur honore, & gradu, de quo certatur. Adde, quod in multis congregationibus usu receptum est, ut plures eligantur, non ut omnes officium habeant, sed ut inter eos solos fors mittatur ad separandum unum. Verum his non obstantibus eiusmodi sortitio iure communi reprobatur in generali prohibitione capituli. *Quia propter de electionib. Ec falsò supponitur, aliud nullum remedium superesse, quia licet eligere compromissarios à quibus electio fiat. Nec benè dicitur, utrumque dignum iudicatum esse, cum neuter à Capitulo, sed à parte duntaxat approbatus sit. Sayrus l. 4. c. 5. Lef. c. 5. Lef. c. 43. n. 58. Barb. in c. clericos. Dist. 21.*

VI. Lites ecclesiasticas sortium interuentu dirimere prohibitum non est. Ita sensisse aliquos Iurisperitos testatur *Felinus in c. Capitulum de rescript. quibus fauet. Glo. in c. licet causam. De probat. V. Vti possidetis, quo loco de litigantibus super beneficio loquens dicit, Vbi nullus, vel uterque ostendit titulum, & omnino sunt æquales probationes, nec apparet, quis ad iudicium provocavit, sorte dirimatur: & allegat iura civilia, & c. Sors. 26. q. 2. quatenus dicit, sortem non esse malam, infertque, nec in tali materia prohibitam esse. Subscribit. *Ostiensis num. 20. & Abbas n. 37. Navar. c. 11. n. 38.* Verum licet admitti ea sententia possit, non admittitur tamen,*

T t t m e m,

men, ut sortitio illa privata litigantium auctoritate fiat, sed auctoritate Judicis opus esse. Nam super beneficio pacisci privata auctoritate Simoniacum reputatur: quod incommodum cessat, quando Judicis auctoritate fit. Addit *Suarez loco cit. nu. 15.* multò magis in litibus non Ecclesiasticis, ac sæcularibus imò electionibus quoque sortibus uti licere, quemadmodum usus ipse legum certissimus interpres docet. *V. Sanchez loco cit. num. 76 & seq. Filliut. tract. 24 c. 4. num. 101. Eesius c. 43. Dub. 9. num. 58.*

VII. Sortium usus quamvis ex se malus non sit, sed indifferens, vitari tamen pluribus modis potest, videlicet, *Primò*, per æstimationem, & intentionem malam, ut si quis credat juxta dispositionem aliorum contingere effectum in sortibus, vel confidat in auxilio, & assistentia dæmonis, vel in fortuna, quæ non sit providentia Dei. *Secundò* vitari potest ratione materiz, vel contra justitiam commutativam in electionibus ad beneficia, & officia, vel vindicativam in pœnis. Contingere enim facilè potest, ut in eum fors cadat, qui minimè omnium deliquerit, nisi fortè ad ejusmodi sortitionem boni publici cura, & necessitas impellat: quo in eventu quilibet alioqui nocens jure suo cessisse putatur. *Tertiò* mala sortitio erit, si intendatur effectus, qui non est ullo modo in potestate eligentium, ut si dere aliena mittant sortes, vel de ea, quam non possunt sua voluntate dividere, & applicare. Est enim tunc manifesta injustitia, & misceri potest sacrilegium pro materiz qualitate. Quod si per aliquod signum à Deo expectetur effectus, non divisoriz, sed con-

sultoriz sortes erunt, de quibus hic minimè tractamus. *Quartò* potest malitiam trahere ex modo, si nimirum quis fraudibus utatur inter sortiendum, quemadmodum in ludo fieri solet: ubi haud dubiè injustitia committitur. Potest etiam contingere irreverentia, ut si utantur libro evangeliorum, aut divinum oraculum pro rerum terrenarum acquisitione. *Quintò* denique malæ sunt sortes per solam legum prohibitionem, in quibus legislator pro fine habet alienius mali, aut periculi fugam, ut de electionibus ad beneficia Ecclesiastica ex dictis patet. *V. Filliut. tract. 24 c. 4. num. 97.*

VIII. Ex his colligitur, admitti non posse, quod *Baldus in l. Meminimus C. quando, & quibus quarta pars debetur.* Non licere sortibus uti, nisi in casibus à jure permittis, & in aliis omnibus peccatum committi. Sunt enim, ut ex dictis liquet, per se non malæ sed indifferentes, eodem modo, quo ludi, & sponiones. Quocirca dicendum potius est, in sortitione ut sic, non contineri malitiam, sed illam contrahere vel à fine malo, vel circumstantiis parùm honestis: aliàs ne quidem approbari aliquando à Magistratu possent: quia non in se bonæ erunt, quia permittuntur, cum intrinseca bonitas & malitia actuum ab humano arbitrio non pendeat. *Torreblanca l. 1. Dæmonol. c. 22 num. 17. & seq. Gloss. in c. c. Ecclesia Felinus in c. Capitulum de rescriptis num. 21. & c. Licet causam de probat. num. 44. Sanchez l. 1. Const. c. 8. D. 36. & l. 2. Moral. c. 38. Em. Sa. V. Sortes. Suarez l. 2. de superstit. c. 12. nu. 17. Barb. in c. Sors 22. quest. 5. Tholos. l. 34. c. 5. Fagund. l. 1. in Decal. c. 40. Lug. Disp. 34. sect. 6. num. 91.*

§. IV.

De Contractu ludi.

I. Ludus, de quo hic agimus, est *Contractus quo victori certaminis res ab utroque exposita tribuitur*. Dicitur 1. *Contractus*, pro genere. Verè enim utrimque obligatio nascitur. 2. *Quo victori & c.* quia sponso est, vi cuius colludentes obligantur ad cedendum illi rem, qui victoriam obtinuerit. 3. *res ab utroque exposita*. Uterque enim exponit ad lucrandum, & perdendum. *Mol. D. 510. Summ. V. Ludus*. Unde apparet, ludum esse mixtum quid ex duobus, nimirum contractu innominato, quo unus ludentium periculo exponit rem suam in alterius commodum, ut idem ab altero fiat: deinde ex industria ludentium, quæ ex majori, & minori experientia & dexteritate pendet. *V. Garziam c. 43. Less. c. 26. D. Filliur. tract. 37 c. 4. num. 3.*

II. Communis hominum sensus fateatur. ludum ex se & naturâ suâ licitum esse, si debitis conditionibus, & circumstantiis vestiatur: nec aliunde tot vituperiis & maledictis laceffitur, quàm quòd malorum hominum fraudibus vitatur. *Barb. in c. Clerici de vi. & hon. Cler.* Personæ igitur sint habiles, & rerum suarum Domini, finis honestus, puta, animi relaxatio, otii fuga, & simil. Vis, dolus, fraus procul arceantur. *Malvetius tract. de Sortib. part. 1. num. 3. Sylv. num. 2.* Sicubi in sacris literis reprehenditur, alio sensu loqui memineris, & malam in partem sumere, quemadmodum *Exod. 32.* Sedet populus manducare, & bibere, & surrex-

erunt ludere. Nam pro idoli adoratione, ut aliqui volunt, sumitur: quamvis id textus minimè requirat, quia satis mali erat in saltu, & choreis, quas intemperantiâ stimulante agitabant. *V. Corn. à Lap. in cap. cit. Exodi Tholos. l. 39. c. 2. Laym. l. 3. tract. 4. c. 21.*

III. Jure civili prohibentur omnes ludi, qui fortunâ magis, quàm arte reguntur, & significantur omnes communi nomine *Alex. l. 1. & 3. ff. de aleatorib. & C. eod. Authent. alearum usus Valentia III. D. 5. q. 6. pun. 5.* Quia perniciosi sunt, jurgiorum, & cædium Seminaria. Eam ob causam denegatur actio pro re subtracta in domo ludentium, nec si quis verberaverit eum, qui ad ludendum habitationem præbuit, injuriarum nomine tenetur. Et quamvis alea militibus olim permissa esset, postea tamen prohibita est *l. fin. ff. de relig. & sumpt. fun.* Infames quoque habiti sunt, qui alea luderent, ut de Augusto Cæsare, & Caligula apud Suetonium legimus. *Offiens. in Summ. tit. de excess. Pralat. §. Clericus.* Sexdecim vitia numerat, quæ aleæ ludus parturit: *Antoninus verò in 2. part. c. 23. §. 6.* tot crimina exinde nasci tradit, quod sunt in taxillis puncta, cui subscribit *Petrus Ravenn. in alphabeto suo. V. Ludus Tholoson l. 39. cap. 3. num. 3. & sequentibus Comitol. l. 1. quest. 90.* Verùm de hac lege merito dici potest, quòd nonnemo de omnibus, telas aranearum esse, cum nec summi, nec imi ab alearum ludo sibi abstinendum putent, nec Confessarius quisquã adeò Religiosus est, ut propter ejusmodi ludos aliquè gravioris peccati dānet. Patentur enim & Theologi, & Canonistæ hoc tēpore vel abrogatas, vel nunquam receptas esse.

Quod etiam de iure Canonico quoad laicos dicendum est. *Medina in sum. c. 14. Valent. D. 5. Q. 6. p. 5. Caiet. V. Ludus. & q. 168. a. 3. Salas dub. 3. Cardin. Lugo disp. 31. sect. 1. n. 9. Fill. Tr. 37. c. 4. n. 58. Iul. Clar. in §. Ludus. Card. Tuscus. Concl. 456.*

IV. Idem alea lusus iure Canonico clericis prohibitus est. *Can. 41. & 42. Apost. c. clerici 2. de vi. & hon. clericor. quibus consonat Con. Tr. 8. 22. c. 1. constituens, ut, quæ aliàs à summis Põtificibus de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusbis & c. sancita fuerunt, eadem in posterum obseruentur. Vnde Lessius c. 26. Dub. 1. nu. 5. colligit, esse peccatum mortiferum, non quidem, si semel, aut bis, terue clericus sic luserit, sed si huic ludo vacaverit, id est, crebrò, & per longum tempus luserit. His enim solis pœnæ imponuntur. Benè & religiosè, sed quæ hoc tempore paucis persuaferis, cum contrarium usu invaluisse, & ab ecclesiasticis Prelatis, qui id minimè ignorant, nulla animadvertione castigari videamus. Scandalum igitur, & damnosa profusio bonorum facient, ut graviter sic ludentes peccare censeantur. Scandalum faaè nequaquam vitant ecclesiastici, qui in publico, frequenter, & magna summa proposita ludunt: & minimè omnium Cutati, quorum mores imitari plebs solet. *Salas Dub. 24. Navar. c. 20 n. 9. Pilæ, scaccorum, & similes ludi clericis nõ prohibentur, sed ut parcè, & inter notos, ac familiares illis utantur, convenit. Fill. l. c. nu. 64. Religiosos autem & episcopos vix unquam absque gravi peccato alea luseros, apud. Lugo l. cit. num. 12. plures affirmant.**

V. Ludo acquisita, quem Ius civile, aut Canonicum vetat, non sunt necessariò re-

stituenda antè sententiam Iudicis. *Sancitum multis. l. 1. conf. c. 8. dub. 1.* Quamvis enim contrarium de eo, qui ad ludendum alios traxerit, nonnulli DD. existiment, supponentes iisdem, quibus prohibetur legibus, irritari factum communiter tamè & Theologi, & Canonistæ negant. Non enim quia actus prohibetur, irritus est, ut manifestè patet in illis quæ circa administrationem Sacramentorum ab excommunicatis fiunt. *Navar. c. 27. nu. 36.* Nec apparet, unde ludentes non possint acquirere dominium eius pecuniæ, quam ludendo secundum æquas condiciones sibi vendicant. Adde consuetudinem passim receptam, ut quæ quisque lucratus est, retineat. Illud tamen manet ex *l. Aleatorum C. de aleatoribus.* victo concedi actionem amissa repetendi, quod ipsum longo non usu abolitum cernimus in illis, qui liberam bonorum suorum administrationem habent. *Mol. disp. 513. Covar. in Reg. Peccatum Par. 2. §. 4. nu. 8. Medina q. 22. de restitut. Azo l. 3. Summa §. 51. Iul. clarus §. Ludus nu. 7. Tuscus concl. 456. Sorb. l. 4. de inst. q. 5. art. 2. Valentia lo. c. 5. §. de ludis igitur.*

VI. Qui amisit credito per lulum non prohibitum soluere quod promisit, creditori tenetur: quia promissio de re licita iure naturali, etiam in conscientia obligat. Et leges civiles ludum prohibentes, non loquuntur nisi de illo qui pro presententi pecunia celebratur. Quemadmodum ergò in tali ludo per leges non conceditur repetitio, ita nec illius, quod amissum retentio. Idem dicendum de eo, qui quod per prohibitum ludum credito amisit, nõ vult in iudicio repetere. Tenetur enim soluere in conscientia, nisi forte ludo

adus peculiari aliqua lege irritus sit declaratus. *Valent. q. 6. p. 5. §. 2. Rebell. Par. 2. l. 12. q. 2. Salas dub. 26. n. 4. Emm. Sa. V. Lu. du. n. 9. Tanner. III. D. 4. q. 6. n. 308.*

VII. Ad restitutionem rei per ludum obtentæ tenetur 1. qui alium fraude, aut violentia ad ludendum compulit. 2. qui inter ludendum fraude utitur 3. qui ludit cum eo, quem scit non habere dominium, vel liberam administrationem bonorum: quales sunt filii in parentum potestate cõstituti, pupilli, prodigi declarati, alienorum bonorum possessores, regulares professi, & similes, de quibus multa & utilia. *Mol. Salas. Sanchez. Lessius. Laym. Filliutius. Petrus à S. Ioseph l. 4. de iust. c. 12. & cum primis. Az. III. l. 5. c. 25. Nihilominus lucrari posse, si bona fides adsit, etiam illos, qui amittere non poss. Bonac. & alii doct. ap. Lugo. D. 31. S. 3.*

VIII. An teneatur restituere, qui lusit

certò scient, se propter eminentem peritiam suam victoriã positurum, controversa est, in qua DD. non conveniunt. Communior opinio est ad restitutionem teneri, eò quod in tali statu inæqualitas sit inter ludentes, nec ullum in se periculum suscipiat peritissimus lusor. Si autem hanc eius peritiã adversarius norit, & nihilominus in lusum consentiat, nulla erit restituendi obligatio, sed suæ levitati damnum imputare debet, qui cum fortiori hoste certamen ultrò suscepit. Idem dicendum est, si ab aliis monitus de periculo, non acquievit. *Mol. D. 517. Less. c. 26. D. 5. Rebellus, Medina. Po. Ledesma. Salas. Az. lo. cit. Cardin. Lugo Disp. 31. Sect. 2. §. 4. Fill. tr. 37 c. 8. Contrariam opinionem tuetur Decius consil. 115. Covar. Reg. Peccatum. S. 4. & favet Navar. c. 20. nu. 18. cum aliis quibusdam apud Sanchez. l. 1. consil. c. 8. dub. 13. n. 6.*

TITULUS XIII.

De præscriptionibus.

Vite, & ingenio humano inventa est Usucapio, & Præscriptio, tum ad vitandam litium multitudinem, tum ad castigandam socordiam illorum, qui bonorum suorum curam non habent: unde possessiones incertæ, & confusio dominorum ptornant. Cautum propterea multis legibus est, ne bona ecclesiastica in alienas manus per Usucapionem, aut præscriptionem transeant: qui modus conservandi res Deo consecratas inter potissimos numerari debet.

§. I.

Quid sit præscriptio, & Usucapio?

PRæscriptionis nomen Iuris periculis tribus ferè modis usurpant, *Primo* pro exceptione, quæ opponitur ad excludendam actionem ab Adore intentam, quæ exceptio cum sit vel dilatoria, vel peremptoria, facit, ut Præscriptio quoque dilatoria, aut peremptoria sit *ff. de excep.* Iuxta eundem sensum Tertullianus librũ de præscriptionibus adversus hæreticos

Tit 3

com 7